



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Pelagia V. & M. 4. Maii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

mus omnium carbonarius experimento didicit; suis, quas ipse sufflaverat, involutus flammis FLORIANVM appellavit, & integro corpore è rogo emerfit. Beneficium luculentius fuit, quàm ut illud obscurare invidia vel oblivio posset. Inde posteris quoque mos traditus est, FLORIANI imaginem cum urnâ aquariâ in fronte ædium dedicandi. Vos illam, ô juvenes, etiam animis tutelam adsciscite, adversus multò tristiora incendia, quibus libido faces subdit, & perenne pabulum omnes corporis sensus subvehunt. Lingua, manus, aures, oculi, fatendum est, incendiarii sunt animæ.

Ex Surio.

*O Ignis infernalis luxuria, cujus materia gula, cujus flamma superbia, cujus scintilla prava colloquia, cujus fumus infamia, cujus cinis immunditia, cujus finis gehenna.* S. Hieron. in Ep.

S. PELAGIA V. & M. 4. Maii.

PELAGIAM Tharsensem Diocletiani Deique filius sponsam ambierunt, ille corporis, hic animi pulchritudine captus. Respuit mortalem procum Virgo, & cæleste conjugium præoptavit. Paronymphus Clino fuit Episcopus, quem divinitus sibi ostensum inter montium latebras reperit, ubi edocta est, qualis dos afferenda ad sponsum esset. Ea uno verbo innocentia appellatur, quam beati Genii donum PELAGIÆ tulere, cum lustrico fonte, qui ad Clinonis preces è ripe profluxit, tingeretur. Augusta prætereà Virgo duplici diademate cincta, ut vel hinc terrarum Cælique Dominam intelligas, palàm visendam se dedit, velut sanctorum sponsalium Antistes. Non fuit deinde difficile PELAGIÆ hoc virginali mundo exultæ,

bombycum fila contemnerē. Nimirum non Cæsaris sed Numinis oculis se composuit, cui in sponsa cilicium præ purpurâ placet. Sed neque rivalem diu sustinuit Christus; hunc enim antelatum sibi indignatus Cæsaris filius, versusque ex amore in furorem, gladio pectus transfixit. Diocletianus tamen filium ulturus non fuerat, si Pelagia amorem à Christo ad se transtulisset. Abhorrentem ab eâ conditione novus Phalaris bovi æreo candenti includit, in quo illa, amore veriùs, quàm igne liquefacta est. Exuvias corporis in Linatum montem projectas quatuor leones tutati sunt; Clino in urnam composuit, & monti congregationis nomen indidit. Vos Sodales, qui tituli jure reliquiarum hæredes estis, quod in Pelagiâ pulcherrimum fuit, innocentia vestem, primo loco votoque poscite. *Ex Metaphrast.*

*Si luxuria flamma in ossibus aestuat, protinus illam memoria eterni ignis extinguat: si callidus insidiator lubricam carnis speciem objicit, illico mens ad mortuorum sepulchra oculum dirigat, & quid illic suave tactu, quid delectabile visu reperiatur, solerter attendat. S. Pet. Dam. op. 7. cap. 23.*

## S. MONICA VIDUA. 4. Maii.

**H**Æc est illa MONICA, quæ Augustinum bis genuit, orbi primùm, deinde cælo, secundo quàm primo partu felicior, dum filio pietatem, alteram hominis animam, quam cum lacte instillare non potuit, plorando infudit. Hæresi Manichæâ mortalissimâ humani generis peste perierat Augustinus; mater sic mortuo affundere lacrimas non antè destitit, quàm Episcopi oraculo recreata est spondentis: *Fieri non posse, ut filius istarum la-*